



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXXVIII. De Asylum deserente ex falsa immunitatis persuasione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XXXVIII.

*De asylo deferente ex falsa immunitatis
persuasione.*

Cum reus aliquis per ministros justitiæ prope cæmeterium, atque Ecclesiam duceretur, è manibus se tenentium se eripiens ad Ecclesiam confugit: interrogatus postea de crimine commisso à Parocho, ex hoc intelligit, commissum delictum non mereri pœnam mortis: exiret igitur, ac denuo se justitiæ sæculari committeret, paret confuga; damno tamen tuo postea doctus advertit, enormitatem criminis à Parocho non sufficienter apprehensam fuisse; siquidem ad mortem damnatus fuerat.

Quær. 1. Utrum jam detentus à Magistratu sæculari, si vi è vinculis se eripiat, asylo gaudeat?

Quær. 2. Cum iste reus ex falsa persuasione immunitatis scilicet à Parocho promissæ exie-

rit, an damnari ad mortem poterit?

Quær. 3. An Cleri, vel Episcopi protestatio sit necessaria, ut talis confuga supplicio affici nequeat?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum jam detentus à Magistratu sæculari, si vi è vinculis se eripiens ad Ecclesiam confugiat, gaudeat asylo.

1. Responsio est affirmativa.
2. Solvitur ratio in contrarium proposita.
3. Nullum locum hinc habet restitutio spoliatorum.

§. II.

§. II.

**Resolvitur secundum
Quæsitum.**

Cum iste reus ex falsa persuasione immunitatis scilicet à Parocho promissæ exierit, an damnari ad mortem poterit?

4. Liberè exiens è loco asyli, potest à iudice capi.
5. Necessitatis causâ exiens, adhuc immunitate gaudet.
6. Vi extractus, est Ecclesiæ restituendus.
7. Nec solùm illicitam, sed etiam invalidam talem extractionem iura declarant.
8. Licet iudex extractionis non fuerit particeps.
9. Asylo adhuc gaudet, qui illud deserit compulsus ex gravi injustæ occisionis, aut extractionis metu.
10. Ab omni pœna immunis erit, qui ad promissam à iudice immunitatem exierit.
11. Num dolosis verbis, & blanditiis ab alio, quàm à iudice ad egressum inductus, immunitate gaudeat?

12. Inductus à Parocho, quòd non gaudeat, probabiliter immunis erit.

13. Talis exitus non est imprudentiæ exeuntis adscribendus.

14. Talis extractio non fuit quidem violenta, sed non absolute voluntaria.

15. Quid, si ex spe certa evadendi lictores inductus ab alio fuerit?

§. III.

**Resolvitur tertium
quæsitum.**

An Cleri, vel Episcopi protestatio sit necessaria, ut taliter egressus supplicio affici nequeat?

16. Talis sententia sine omni protestatione erit irrita.

17. Licet pœna mortis, aut mutilationis in pœnam corpoream mutaretur, probabiliter extradi confuga non poterit.

18. Nec obstat Canon reus causa. 17. q. 4.

19. Possunt tamen persuaderi, ut ipsi ultrò exeant.

20. Ta.

20. Talis tamen confuga, pro damno, & injuria alteri illatis tenetur satisfacere.

21. Quidnam in hoc puncto Prælati sit observandum.

22. In casibus non exceptis, an judici extradi possint, recepto prius juramentò de securitate pœnæ temporalis?

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

*Utrum jam detentus à Magistratu
seculari, si vi è vinculis se eri-
piat, gaudeat asylò?*

DICO I. Si captus à mini-
stris, ex eorum manibus se
liberans aufugiat, vel in carce-
rem jam inclusus, hoc fracto, ad
Ecclesiam confugiat, gaudebit
immunitate. Ita quoad secun-
dam partem defendunt Navar-
rus summæ cap. 25. n. 19. Deci-
anus tract. crimin. 2. p. l. 6. cap. 28.
n. 28. Suarez lib. 3. de reverentia
debita loci sacri cap. 11. num. 15. &
19. Covarruv. 2. variar. cap. 20.
n. 13. Farinacius q. 28. n. 41. Tu-
schus pract. concl. verbo Ecclesia c.

20. n. 11. Bonac. tom. 2. disp. 3.
q. 7. de immunitate S. 2. num. 10.
primam etiam defendunt Gutti-
erez l. 3. q. 6. n. 4. & 5. Decia-
nus l. 6. cap. 28. n. 32. Tuschus v.
Ecclesia. c. 10. n. 21. & 30. Fari-
nacius in append. c. 15. num. 196.
Anast. Germ. de Sacrorum immu-
nitate l. 3. cap. 16. num. 56. Palao
tract. 11. disp. unica. pu. 7. n. 10. &
11. Wiestner l. 3. decret. titl. 49.
art. 5. n. 79. & 80. citans Panor-
mit. in cap. inter alia. 6. n. 32.
Navarrum. Manual. c. 25. n. 19.
Covarruviam l. 2. variar. cap. 20.
n. 13. Boërium decisione 110. n.
8. & 9. Clarum §. fin. q. 30. n.
13. Decianum tract. criminal. l.
6. cap. 28. n. 29. Guttierrez lib. 3.
q. 4. n. 10.

Ratio utriusque conclusionis
est: fideles sacra Asyliâ gau-
dent, & proteguntur præter ca-
sus jure exceptos: sed effractio
carceris, & fuga ex ministris ju-
stitiæ facta, non est casus exce-
ptus: ergo isti privilegiò gaude-
bunt.

Confirmatur Responsio ab
Haunoldo tom. 6. de Jur. & Just.
tract. 1. n. 164. asserente, Ingol-
stadii reum ex effracto carcere
fugientem ad Monasterii cœme-
teri-

terium se recepisse, indeque ab insequentibus ministris vi abstractum, Ecclesiastici iudicis mandatō restitutum fuisse.

Confirmatur 2. Ex Farinaccio *append. 15. n. 197.* referente casum, quo ex TT. & Canonistarum consilio tanquam immunitatis violatores excommunicati fuerunt, qui falsarium monetae ex licitorum manibus ad vicinam Ecclesiam profugum, indeque vi extractum ultimō supplicio affecterunt.

2. Contra hanc resolutionem, quam negant Petrus Gregorius. *Syntag. Juris l. 33. cap. 22. num. 2.* Objicitur primō. Incarcerati sunt subiecti potestati, & iudicio iudicum: ergo contra iustitiam ab illis se eximunt, cum itaque Ecclesia iniustitiis non faueat, talibus delinquentibus immunitas deneganda erit. Resp. dist. antec. Talis est subiectus iudicio, & potestati iudicum, quamdiu reus in illorum potestate existit, conc. quando est constitutus extra hanc potestatem, negatur: pro illo tantum tempore subiectus est reus iudicibus, pro quo in iurisdictione illorum existit.

Urgebis: Si pro illo tempore est subiectus iudicibus, pro quo est in iurisdictione, tunc tempore effracti carceris suberat illorum iudicio: ergo se eximendo iurisdictione curiae saecularis iniustitiam commisit: ergo non gaudet immunitate. Respon. transf. primo enthymemate nego illatum. Omnes enim gaudent iure asyli, qui non commiserunt crimen exceptum, sed talis criminis reus non commisit crimen exceptum: ergo gaudet iure asyli.

Objic. 2. Regula de restitutione spoliatorum exigit, ut restitutio spoliato fiat. *arg. cap. 1. &c. de restitut. spoliat.* ergo elapsus erit restituendus carceri. Resp. Regulam hanc non habere locum, quando facta restitutione inferitur damnum irreparabile: sicut contingit, quando agitur de periculo animae, corporis, & membrorum. *arg. cap. literas. 13. in fine de restit. spoliat.* Menochius *recept. remed. 1. num. 208.*

§. II.

Resolvitur secundum
quaesitum.

An

An reus ex Parochi persuasione exiens Capitali supplicio affici poterit?

4 **H**ic quaesito, ut plenius satisfiat. Dico primò. Liberè exiens à loco asyli potest à iudice saeculari capi. Ita Francisc. Suarez lib. 3. cap. 12. num. 5. Decian. lib. 6. cap. 26. n. 11. Farinac. in append. de immunit. cap. 19. n. 306. Bon. disp. 3. q. 7. de immunit. §. 5.

5 Ratio est: quòd immunitas reo concedatur ratione loci: ergo si hunc liberè deserit, poterit capi. Ex hoc infertur immunitate adhuc gaudere, qui necessitate corporis coactus ad hoc exonerandum exit statim reversurus, eò quòd talis non censetur è loco sacro exiisse, sed adhuc moraliter in eodem perseverare vi can. *definit*, prout volunt cum aliis Bon. cit. §. 5. n. 1. in 2. effectu Fagundez in *prae. Eccles. l. 4. c. 4. n. 56. Dianapart. 5. & tract. 1. resol. num. 6. Wiestner n. 135.*

6 Colligitur 2. Vi ab aliquo extractum non posse à iudice capi, sed Ecclesiae restituendum

esse. Val. 3. disp. 6. gener. quest. 15. p. 1. in resp. ad 2. Praxis Neapol. cap. 17. n. 6. Bon. disp. 3. q. 7. de immunit. §. 2. v. sed mihi dicendum. Palao disp. unica de Rever. rebus Sacris debita p. 11. n. 2. Probat. Omnis extractio violenta est nulla: sed talis est violenta: ergo. maj. constat, si enim valeret, ejusmodi rei violentè ab alio extractio, inania forent jura, & favores Ecclesiis concessa. eadem major probatur etiam ex *Lege 2. pri. c. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Leg. fidei 2. Le. praesenti. 6. c. rub. cit. can. definit. can. Frater. can. reum. q. 4. & c. inter alia Const. Gregor.*

Subsumo: Sed si haec extractio est nulla, tunc à iudice, etiam non conscio ejus violentiae capi nequit: ergo &c. Probat. subf. Jura confugientes ad Ecclesiam ita securos esse volunt, ut ab illa inviti nequeant extrahi: ergo à iudice capi nequeunt. Probat. conseq. si taliter securos jura confugas faciunt, tunc per vim extracti gaudent adhuc jure: sed, si gaudent adhuc jure asyli, tunc non possunt capi à iudice: ergo ab hoc capi nequeunt,

unt, si jura ita securos illos volunt, ut inviti exinde nequeant extrahi. Ita contra Suarez. *tom. 2. de relig. l. 3. cap. 13. n. 17. in fine.* sentiunt Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 25. p. 1. ad 2.* M. Anton. Genuensis *in praxi cap. 17. n. 6.* Palao *tract. 11. disp. unica. p. 11. num. 2.* Wiest, *n. 136.* hac Rubrica.

7 Neque dicas: citata jura ejusmodi extractionem, ut illicitam duntaxat prohibere, non autem declarasse illam ut irritam. Contra est: quod irrita declaretur à Bulla Gregoriana hīs verbis: *Nec non irritū, decernimus, & inane, si secus super his per quorūmque quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

8 Neque dicas 2. Si iudex non fuit particeps, & conscius hujus violentæ extractionis, non poterit dici extrahere delinquentem è loco sacro, sed ex profano: sed solus extrahens fuit conscius: ergo talis iudex nihil faciet contra immunitatem. Resp. dist. maj. non poterit dici omniū primus extrahere reum è loco sacro conc. non potest dici continuare extractionem ab alio inceptam, neg. major. & transmissā min. dist. conseq. ergo iudex

non violat immunitatem, si extractionem non continuaret: conc. si eam continuet, negatur. cū talis delinquēs moraliter adhuc cōsequarexistere in loco asyli, ideo eum apprehendendo censetur moraliter extrahere, quia enim extractio nulla fuit, non amisit reus suum jus, contra quod tamen capitur.

Dico 2. Eodem privilegio asyli adhuc gaudet, qui non quidem vi extractus fuit ex illo, istud tamen deseruit compulsus ex gravi atque injusto occisionis, aut violentæ extractionis metu, ita Farinacius *append. de immunit. cap. 2. n. 53.* Delbene *dub. 24. sect. 4. n. 1.* Hau. *n. 241.* Palao *pu. 11. n. 2.* Wiest. *n. 137.* Ratio est: quod talis moraliter loquendo sit potius expulsus, quàm liberè egressus: dices: can. *id constituimus. 17. q. 4.* habetur: *si reus timore aclus ab Ecclesia discesserit, à Clericis non queratur:* quod talis non amplius gaudebit hoc privilegio. Resp. citata verba esse intelligenda de timore propria apprehensione aufugientis concepto, non autem de illo, qui ab alio fuit injustè incussus.

Dico

10 Dico 3. Si iudex punitionis tibi immunitatem promittens exitum tibi persuaserit, ita ut sub hac promissione exieris, immunis eris ab omni captura, & poena. Ita sentiunt Navarrus cap. 25. num. 22. in fine. Azor. 2. part. instit. moral. lib. 9. cap. 9. q. 11. Azebedo l. 1. tit. 2. Leg. 3. n. 13. Farinacius quest. 81. n. 282. Palao pu. 11. n. 3. Barbosa Jus Ecclesi. lib. 2. cap. 3. num. 54. M. Anton. Genuensis cap. 17. n. 5. Wiestner n. 138. Palao pu. 11. n. 3. Ratio est; quod talis reus privilegio immunitatis cesserit sub conditione securitatis à iudice promissæ: ergo iudex hanc securitatem tenetur servare, vel, si non servet, immunitatis cessio erit nulla, cum sit involuntaria, eò quod non fuerit impleta conditio, sub qua statuit exire. Confirmatur. Citatus Genuensis testatur, in Curia Archiepiscopali Neapolitana 1598. iudicatum fuisse, decretumque, ut reus taliter extractus à iudice denuo Ecclesiæ restituatur, aut sine sanguinis, aliave simili corporali poena dimittatur.

11 Difficilior est resolutio status, quid faciendum sit, si blan-

ditiis, & dolosis verbis alterius, quam iudicis inductus reus exierit, talem enim capi posse affirmant Decianus lib. 6. cap. 26. n. 11. Suarez l. 3. cap. 18. num. 2. Farinacius in append. de immunit. cap. 19. n. 302. Bon. disp. 3. q. 7. de immunit. §. 2. v. 6. Fagundez lib. 4. cap. 4. n. 56. Palao num. 3. pu. 11. Wiestner n. 139. Navarrus n. 21. fundant se in hoc: sola violenta extractio à iuribus irritatur; atqui talis non est violenta extractio: ergo &c. antecedens constat ex Can. miror. 8. Can. frater 10. can. si quis contumax 20. can. deservit. 35. q. 4. cap. inter alia. & Constit. Gregor.

Dein in cap. Cum dilectus 6. de iis, quæ vi metusve causâ, habentur: Nec obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumventionem, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri. Quod precibus, & blandis, atque mendacibus verbis inductus, suâ potius propriâ prudentiâ, quam aliena fraude circumventus videtur. Ego in hoc puncto tria iudico esse consideranda. Primò. Conditionem personæ confugæ, num hæc sit literata, vel rudis. Dein sua-

suadentis : num hæc sit Ecclesiastica , fide digna , de qua nequam dolus , fraus , aut ignorantia præsumi justè debeat. Tertio denique modus , & ipsa natura motivorum , quibus talis reus inductus fuit , si enim reus sit talis , in quo non supponitur scientia jurium , eidemque seriò dicatur à persona , de qua præsumendum est , quòd in tali casu non debeat fallere , sed potius defendere , ac tueri reum in jure asyli , quòd hìc & nunc non gaudeat asylo , tunc.

12 Dico 4. Talem reum , si exeat , v. g. quia Parochus dixit , quòd non gaudeat , ita ut sub hac asserzione , & opinione , quia scilicet non gaudet , exeat , probabiliter non posse capi à iudice , vel debitâ aliàs pœnâ affici. Probatur : talis desertio asyli non est exeunti voluntaria , & libera : ergo adhuc moraliter gaudet asylo , & consequenter non poterit capi à iudice. Probatur antec. solummodò ideo exit , quia inductus à Parocho iudicat , quòd non gaudeat asylo : quòd si hoc suppositum est falsum , exitus , & desertio asyli non fuerunt illi voluntariæ.

Confirmatur : Si aliquis asylo deferat sub promissione immunitatis à iudice facta , ejusmodi desertio non censetur deserti absolutè voluntaria , eò quòd cesserit tantùm suo juri sub promissione falsa : ex quo juxta superiùs tradita reus erit restituentus asylo , si iudex promissionem implere nolit : quòd si etiam talis ex supposito aliquo falso cessit duntaxat suo privilegio , etiam talis adhuc gaudebit privilegiò suò , & moraliter adhuc in asylo erit.

Dices cum Authoribus sententia opposita , reum istum suò potius imprudentiâ , quàm aliena fraude circumventum fuisse : ergo non gaudebit privilegiò. Resp. 1. retorquendo : Inductus sub falsa promissione immunitatis à iudice facta non debet suum exitum suæ fatuitati , atque imprudentiæ adscribere , sed verè adhuc gaudet asylo : ergo etiam talis à Parocho inductus &c. Resp. 2. neg. antec. Ratio negandi est , quòd credens verbis Parochi nullam imprudentiam commiserit , cum sufficientia motiva habuerit præbendi assensum verbis Parochi : ex

una

una enim parte sciebat se in scium, & ignarum privilegiorum, quæ in hoc puncto jura concesserunt Ecclesiæ: ex altera parte etiam sciebat, Parochos, & Clericos ex officio suo obligatos esse, ut ad Ecclesiam suam confugientes defendant, ita ut expellendo censuram incurrant: potuit præterea prudenter præsumere Parochum hunc sufficiente scientia circa hæc jura esse instructum: ergo prudenter, & non fatuè consensus, & fidem illi præbuit.

14 Dices 2. Talis extractio non fuit violenta, sed sola violenta extractio irritatur: ergo talis desertio non fuit irritata. Resp. dist. maj non fuit violenta, ita tamen, ut neque voluntaria, neque libera extiterit, conc. maj. ita ut fuerit libera, & absolute voluntaria, neg. maj, & dist. consequ. ergo talis desertio, si absolute fuisset libera, non irritatur conc. si non est libera, & absolute voluntaria negatur. Consequenter per solam liberam, & voluntariam desertionem asyli amittitur immunitas, talis autem invitus egreditur.

Confirmatur: Talis Parochi

ignorantis, vel decipientis verba æquiparantur violentiæ: juxta Abbatem in cap. ultimum de immunitate Ecclesiastica, cui assentitur Azor. p. 2. l. 8. ergo si violentia facit desertionem involuntariam, etiam faciet ejusmodi à Parocho facta inductio. Probatur consequ. ideo præsentem violentiam manet immunitas, quia hac stante exiens asylo non voluntariè, atque liberè deseruit, sed etiam taliter inductus non deseruit voluntariè, ac liberè asylo juxta dicta: ergo neque amittit jus ad asylo.

Probatur 2. Est innegabile, quod ad minimum sit dubium, num talis reus amiserit, vel adhuc possideat jus asyli: sed in dubio est melior conditio possidentis, & iste est in possessione asyli: ergo in hoc est manu tenendus.

Probatur 3. Privilegium asyli est singularis favor Ecclesiis concessus: sed favores sunt ampliandi: ergo etiam privilegium asyli: opinio enim asserens talem gaudere, est favorabilis immunitati Ecclesiasticæ. Ita sentit Diana.

Dices, Si talis inductus à Pa- 15
ro-

rocho gaudet, etiam gaudebit, qui exiit inductus ab alio ex spe certa evadendi manus lictorum. Probatur, etiam tali non est absolute voluntaria hæc desertio, & fit solum sub hac tali spe, & fugâ securâ: ergo si hæc nulla est, non exiit voluntariè. Resp. dist. si eadem circumstantiæ adsint in tali casu, quæ dantur, quando Parochus ipse talia affirmavit, conc. si circumstantiæ sint mutata: neg.

§. III.

Resolvitur tertium Qualitum.

An protestatio Cleri, vel Episcopi requiratur, ut talis exiens capitali supplicio affici non possit?

Superest modò dubium, an supposito, quòd iste reus adhuc gavifus fuerit immunitate Ecclesiastica, iudex potuerit illum condemnare ad mortem, hujusque sententiam exequi, casu, quo nulla protestatio ex parte Prælatorum Ecclesiæ, vel Pa-

rochi in contrarium facta fuerit? ad hoc.

Dico. Etsi nulla protestatio in¹⁶ contrarium ab Ecclesia facta fuerit, sententiam tamen latam fore ipso jure nullam, & irritam. Probatur: injusta, & ipso jure irrita, & nulla est sententia, atque executio lata in gaudentem immunitate, & constitutum in ipso adhuc asylo; Item lata in reum per vim abstractum ex asylo: ergo etiam in talem lata erit nulla, & irrita. Antecedens est ferme omnium: nam reus adhuc actu in asylo existens in loco exempto, atque extra jurisdictionem sæcularium iudicum est constitutus, cum ergo sententia in non subditum lata sit ipso jure nulla, etiam lata in constitutum in loco asyli erit nulla. Ratio secundi est; quòd jura extractionem ex asylo non solum illicitam, sed ipso etiam jure nullam, & irritam declarent in Constitutione Gregoriana: ibi: *Nec non irritum decernimus, & inane, si super his per quorumcunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*: quòd si ergo iudex in vi extractum ex asylo
sen-

sententiam ferat, & exequatur, idem moraliter est, ac si illam exequatur in constitutum actu in asylo. Probatur itaque prior nostra consequentia asserens sententiam etiam in reum nostrum latam, fore nullam; reus noster adhuc moraliter existit in asylo, hujusque immunitate gaudet, non secus, ac reus vi extractus, vel adhuc in asyli loco existens: ergo si sententia, & executio in actu existentem in asylo, vel vi ex hoc extractum est nulla, & irrita, etiam ista posterior erit irrita ipso jure. Antec. constat, ille enim adhuc moraliter est in asylo, qui hujus jure adhuc gaudet: sed juxta dicta taliter exiens, adhuc gaudet jure asyli, ergo adhuc est moraliter in asylo.

17 Dubium adhuc aliud superest, utrum reus pœnæ capitalis, aut mutilationis possit inuitus extradi, si judex sæcularis promittat ab his immunitatem, paratus tamen sit aliâ pœnâ corporeâ, v. g. fustuariâ, aut militibus communi & propria; item incarcerationatione, & maceratione longiore reum exeuntem afficere, Ad hoc

Dico. Probabilius ista non licere. Probatur ex cap. id

constituimus 17. q. 4. ibi: reos abstrahere non liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sint securi. ubi nota. tò omni pœnarum genere, quod genus pœnæ cum pœna mortis, & debilitatis, seu mutilationis sit super superadditum, utique aliquid ab his diversum designat. Ita judicant etiam Suarez lib. 3. cap. 13. n. 3. Palao pu. 12. n. 5. Item Wiestner hac rub. n. 140. ubi ait, antiquo jure permissum fuisse, ut reus ab Ecclesiastico Prælato consignetur potestati sæculari, si hæc juratam immunitatem à mortis, aliâve pœna corporali reo promiserit. Item n. 155. ait, sacro asylo receptum à sæculari Curia ad mortem, aliâve gravem corporalem, v. g. mutilationis, fustigationis, triremium, servitutis, exilii, carceris pœnam condemnari non posse. Idem sentit Azor. 2. part. l. 8. asserens immunitatem in duobus consistere. Primò. Ne inde per vim extrahantur. Secundò. Ne amplius ob delictum damnentur ad mortem, vel ad pœnam corporis: possunt tamen condemnari

K k k

pœ-

pœnâ pecuniariâ , & potest contra eum , dum in Ecclesia commoratur , progredi civiliter . Item Layman l. 4. tract. 9. cap. 3. hæc habet , Ecclesiæ Prælati reum quandoque judici sæculari tradere potest , exacto prius iuramento , vel simili cautione immunitatis à pœna mortis , & NB. *omni corporali* citat etiam pro hoc Abbatem in cap. *inter alia in fine* . Sylvest. *verbo immunitas* . 3. q. 4. Suarez cap. *inter alia* . quod postquam dixisset de confuga ad asylo : *non est violenter ab Ecclesia extrahendus* . subjungit : *neque inde damnari debet ad mortem , vel ad pœnam* . Panormitanus , inquam , in hunc textum ait , per pœnam ibi intelligi *pœnam corporis afflictivam* , adjungens , hanc esse strictam pœnæ appellationem : Item Glossa in citatum textum cap. *inter alia* . vocem pœnæ de omni genere pœnarum intelligit , allegans cap. *id constituimus* . 17. q. 4. ubi dicitur : *de morte , debilitate , & omni pœnarum genere sine securi* . Ulteriùs eandem immunitatem , & securitatem non tantùm de salute innocentis quoad vitam , & membra , sed etiam quoad omnem corporalem pœ-

nam , promittendam antea esse , priusquam extradatur confuga , censet Bonac. in 1. *Decalogi præceptum disp.* 3. q. 7. pu. 7. n. 2. allegans pro hoc etiam Sylvestrum , *v. immunitas* . 3. quæ 4. n. 2. Suarez , Pellegrinum c. 14. n. 3. Idem tenent Tuschus *concl.* 10. n. 5. §. 14. Farinacius cap. 21. n. 335. dicentes asylo sacro receptum à sæculari curia ad mortem , aliâve gravem pœnam corporalem , v. g. mutilationis , fustigationis , tririmum , servitutis , exilii , carceris nequaquam damnandum esse .

Dices : cap. 60. *Reum* . 17. q. 18. 4. solùm dicitur , quòd *Rectores Ecclesiarum pacem , & vitam , ac membra ejus (confugæ scilicet) obtinere studeant* : ergo modò hæc salventur , jam erit licitum confugam extradere judici sæculari . Resp. nego consequentiam , in eodem enim capitulo præcipitur , *ut reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat , neque inde damnare ad pœnam , vel ad mortem &c.* Dein licet hoc capitulum de solis pœnis mortis , & mutilatione loqueretur , alii tamen textus etiam de aliis pœnis corporalibus clarè mentionem faciunt .

Constat ergo sufficienter ad 19 asy-

asylo confugientes non posse invitos extrahi, nisi securitas de omni poena corporali fuerit promissa, & impetrata: dixi *invitos*, si enim persuadeantur, ut ultro ipsimet exeant, permitti hoc poterit. Ceterum licet reus consentiret ad sui extractionem ex asylo, hæc tamen illicita, & invalida foret: Ratio est, quia immunitas solet esse favor, & privilegium ipsorum Sacrorum, & Religiosorum locorum, quod istis intuitu Religionis fuerat concessum. arg. Can. *Reum. 9. Frater. 10. can. definit. 35. q. 4. & leg. present. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Subs. sed juri, & favori publico non potest fieri renunciatio partionibus: ergo &c. minor habetur in cap. *si diligenti. 12 de foro compet. & Leg. Jus publicum. 38 ff. de pactis &c.* quod si autem ad Ecclesiam confuga sponte exeat, & extra asylo comprehendatur, apprehensio ista Curia seculari permissa erit.

20 Dico denique ultimò. Quòd confuga ad Ecclesiam, licet ad corporalem, & gravem poenam damnari nequeat, reneatur tamen ille satisfacere pro damno, & injuria illata offenso, vel ex-

hibita pecunia, vel alio quopiam modo. Probatur ex citato Canone *reum. ibi: tamen legitime componat*: in quæ verba glossa addit: id est, *pecuniariter satisfaciat, quod iniquè fecit.*

Probatur 2. Eadem conclusio ex Canone. *id constituimus*: hoc enim confugæ à morte, debilitate securi esse, jubentur: *ita tamen, ut ei, cui fuerit criminofus, sive damnofus, & injuriosus, de satisfactione conveniat.* quòd si autem talis confuga non iis facultatibus sit instructus, ut pecuniariam, aliàmve similem satisfactionem à se læso præstet, juxta Delbene *dub. 31. n. 7.* & Hauld. *n. 248.* Wiestner hinc *n. 156.* affici poterit corporali, sed mitiori, & non graviter inflictivâ poenâ juxta vulgatum: *qui non habet in ere, luat in cute.* Ratio est, quòd in tali casu per accidens tantum, & non per se in corpore puniretur.

Ex his cum Fagnano in cap. 21 *inter alia. cit. num. 20.* advertit P. Wiestner *num. 157.* Ecclesiarum Prælatos vel maximè delinquere, quando de liberatione magis, quàm emendatione, aut satisfactione, læsis præstanda, solliciti,

citi, etiam enormium criminum reos in totum salvare nituntur, ita ut isti ab omni etiam pecuniaria, & moderata poena subeunda immunes fiant, cum hoc, & citato Capitulo, & iustitiae repugnet. Cui iustitiae contravenire etiam illi videntur, qui ad se confugientes milites statim alio dimittere conantur, neque prius attentant compositionem cum illorum Ducibus super immunitate reorum facere.

2 Præter istud superest hoc quoque dubium, utrum in casibus non exceptis possit, & debeat Prælatus reum iudici sæculari extradere, & consignare, recepto prius ab eo juramento de securitate poenæ corporalis? ad hoc dubium respondent. Abbas in cap. *inter alia de immunitate Ecclesie*. Farinacius in *appendice, de immunitate, cap. ult. n. 344*. Palao pu. 13. hic n. 2, repugnantem delinquentem nequaquam posse tradi Curie sæculari, quantumvis ista securitatem præstet de eius immunitate. Probat. In talibus non exceptis casibus gaudet delinquens immunitate; sed immunitas in eo consistit, ut non possit invitus ab Ecclesia extra-

hi, & iudicari; ergo &c. addit Palao hoc indubitanter procedere in terminis Constitutionis Gregorianæ, in qua solum in casibus exceptis extractio permittitur, & in casibus non exceptis omnino negatur. contrariæ tamen sententiæ est Suarez l. 3. cap. 13. post n. 3. Azor. 2. p. *Inst. mor.* l. g. e. g. q. 10. Sylv. in *secunda, immunitas 3. n. 4*. Alex. Villagret. fundantes se in cap. *deservit. 17. q. 4.* responderi tamen ad horum auctoritatem potest, ista procedere iure antiquo ante constitutionem Gregorii XIV. editam, quæ tamen modò dicta fuerunt de extraditione non faciendâ invito confuga, licet promissio de immunitate facta fuerit, nequaquam locum habent in servo ad Ecclesiam confugiente: de his enim, ne illis Dominus privetur, Innocentius III. cap. *Inter alia*, Hybernix Regi rescripsit: *Si servus confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua Dominus eius Clericis iuramentum præstiterit, ad servitium Domini sui redire compellitur, etiam invitus; alioquin à Domino poterit occupari.* Similia habentur, can. *metuentes 38.* can. *id*

constituimus 17. q. 4. & Leg. Præfenti 6. §. 5. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, quæ à ciuitatis modò textibus circa seruos fuerunt decreta, videntur mihi

ob paritatem rationis locum etiam habere in ipsis militibus, in quos etiam jus aliquod habent Duces, sub quibus stipendia merentur.



Casus XXXIX.

De Asylo in actuali Ecclesia furto deprehensi.

CUM Sempronius miles in ipsa Ecclesiâ furaretur, excitati viciniorum clamoribus milites templum circumdant, duòque ex inferioribus Officialibus: vulgò corporal nominati, templum ingrediuntur, atque Sempronio suum scelus exponere incipiunt, utque quanto citius exeat, excitatiore voce, ac minitantibus gestibus imperant. Sempronius homo valde simplex, totus perterritus pareret; unde ab illis duobus Officialibus inferioribus nulla vi exteriore adhibita è templo eductus, in carcerem conjicitur. Subinde interrogatur, utrum vi ex asylo extractus fuerit, negat sibi ullam vim adhibitam fuisse, fa-

tetur insuper, se jam aliàs plura adhuc alia furta commisisse.

Quær. 1. An Sempronius in hoc casu gaudeat asylo?

Quær. 2. An hic egressus Sempronii dicendus sit violenta extractio?

Quær. 3. Si asylo gavisus fuit, atque injustè extractus, saltem puniri possit ob furta præcedentia?

§. I.

Synopsis.

Resolvitur primum
quæsitum.

Kkk 3

An